

Johann Georg Dorsche    Hector Mithob

**Denarius Vespertinus, Seu Scopus Parabolae De Operariis In Vinea, Matth. XX,1.  
- 16.**

Rostochii: Kilius, 1657

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746970234>

Druck    Freier  Zugang





ica.

40

Fa-1092 (40.)

2.

3.

4.

30

29

28.

27

26

25

24

23

1.


2.

3.

4.

19

18



14.

ΣΥΝΘΕΣΙΣ.

DENARIUS VESPERTINUS,

Seu

SCOPIUS  
PARABOLÆ

De

OPERARIIS IN VINEA,

*Matth. XX, 1. --- 16.*

Publica Disputatione propositus

PRÆSIDE

JOHANNES GEORGIO  
DORSCHIO, Argentoratense,

Theologo Doctore,

RESPONDENTE

HECTORE MITHOBIO,

Ecclesiæ Otterndorffianæ in Hadelia

Archidiacono, Magistrando.

*Ad diem XXIX. Jan. Anno Chr. M. DC. LVII.*

*In Auditorio Magno,  
horis usitatis.*



ROSTOCHII.

Typis Hæredum NICOLAI KILII.

30  
29  
6. 28.  
7. 27  
8. 26  
9. 25  
10. 24  
11.  
12.  
13.  
14.  
19

14.

DENARIUS VESPERTINUS

S C O P U S

PARABOLAE

OPRARIS IN VINEA  
Mans. X. I. 1. 18  
Tubli's Disputatioe p'pofina  
P R E F A T I O

JOHANNES GEORGIO  
DORSCHHO, Aigencorense,  
Theologo Doctor,

RESPONDENTE  
HECTORI MITHOBIO,

Eccl'ie Ouerndorffiana in Habita  
A. C. H. I. S. S. I. O. N. O. I. N. S. I. G. N. I. S. S. I. M. O.  
A. d. d. e. m. X. X. I. X. J. a. n. n. C. o. r. M. D. C. X. X. I. I.  
In auctore a. g. n. o.  
d. o. m. i. n. i. c. a. n. o.



ROSTOCKIAE

Typ. Hærdum NICOLAI KILII.



# DENARIUS VESPERTINUS.

b. e.

SCOPUS PARABOLÆ DE OPERARIIS  
IN VINEA,

Matth. XX, 1. --- 16.

## PROOEMIUM.



ὅτι πᾶσα παραβολή, ὅλη διόλου κολλᾷται τῷ πρῶτῳ πράγματι, ἀλλ' ἔστιν ὅτε, καὶ ἔχει τινὰ ἀνόμοια, ἃν ἀμελήσειεν ἀπιλεγόμενοι ἰσὺ ὁμοία. Ita Eustath. Archiep. Thesal. in Homeri Iliad. λ. Monuit hoc jam seculo Christi tertio Q. Sept. Flor. Tertullianus de pudicit. cap. IX. cū ait: *Sunt quæ & simpliciter posita sunt ad struendam & disponendam & texendam parabolam, ut illuc perducantur, quo exemplum procuratur.* Jobius Monach. Comment. Lib. IX. apud Photium Constantinopol. in Myriobibl. Codice 222. pag. 638. n. 37. consentit, cū ait: *Talis parabolarum fictio esse solet, ut non ea solum, quæ aut facta, aut futura sunt, complectantur, sed & illa, quæ curiosius quispiam eorum commovendi vim, aut jucunditatem, aut consequentiam, aut deniqve adipiscendi facilitatem atqve utilitatem contexendo adjungeret.* Pulchrè Aurel. Augustinus contra Faust. Manich. Lib. XXII. cap. XCIV. & de Civit. DEI Lib. XVI. cap. XXI. Sicut in Cytbaris & hujusmodi organis Musicis non evidem omnia, quæ tanguntur, canorum aliquid resonant, sed tantum chordæ; cæ-

A 2

tera

30  
29  
28  
6. 28  
7. 27  
8. 26  
9. 25  
10. 24  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.



paratamen in toto cythara corpore ideò fabricata sunt, ut essent,  
ubi vincirentur: unde & quo tenderentur illa, quas ad can-  
tilenam s'paritatem percussurus & modulaturus est artifex: ita  
in his propheticis narrationibus, quae de rebus gestis hominum  
propheticò spiritu deliguntur, aut aliquid iam sonant signifi-  
catione futurorum, aut si nihil tale significant, ad hoc inter-  
ponuntur, ut sit, unde illa significantia tanquam sonantia con-  
nectantur. Et Joh. Chrysoſtom. in Matth. Homil. LXIV.  
Ἰὴς χρεὶ πάντα τὰ ἐν ταῖς παραβολαῖς κατὰ λέξιν περιεργάζεσθαι, ἀλλὰ  
ὄν σκοποῦν μαθόντας, διὸν συνετέθη, τῶτον δεῖ περὶ αὐτῶν μὴδὲν πολυ-  
πραγμονεῖν περιεργάζεσθαι. c. Non oportet omnia, quae parabola con-  
tinent, verbatim scrutari, sed SCOPUM intelligere, ad quem  
instituta sunt, eòque perceptò & usurpato, nihil ampliùs in-  
quirere. Quod circa hanc, quam, DEO juvante, breviter  
tractaturi sumus, Episcopus doctissimus monet. E Ponti-  
ficiis, qui multum parabolis indulgent, Dionysius Petavius  
Tom. I. Theolog. dogm. Lib. VII. cap. XI. §. 4. pag. 499.  
Mihi supervacaneum videtur, inquit, omnes similitudinis par-  
tes tam anxie persequi, ut cum re significata id, unde sumta  
est parabola, ad amissim congruat, quod plerumquæ puto esse vi-  
tiosum. Joh. Maldonatus Comm. ad Matth. XIII, 26. In pa-  
rabolis multa non ad significandum, sed ad implendam narratio-  
nem adhibentur, non quasi parabola partes, sed quasi emblema-  
ta, non quia necessaria sunt, sed quia fieri solent. Et ad cap.  
IV. Marc. vers. 27. Observandum est, non semper esse singulas  
parabolarum partes ad rem, de qua agitur, quæque per para-  
bolas significatur, accommodandas. Nam alia in parabolis po-  
nuntur tanquam necessaria earum partes, in quibus parabola  
sententia consistit, alia tanquam accessiones, tanquam acciden-  
tia, tanquam ornamenta, & quasi emblemata parabola, quæ  
partim ad explendam, partim ad ornandam narrationem adhi-  
bentur. Quæ ut discernantur, semper parabola FINIS specta-  
ri

ri debet, & ad eum singula parabola partes examinanda; qua  
ad eum finem habent aliquid significationis, necessaria parabola  
partes sunt, qua non habent, non necessaria. Idem scribit ad  
Matth. XVIII, 23. Hoc monitum in eruendo Denario Vesperti-  
no seqvemur, & Scopum parabola indagabimus.

§. I.

SCOPUS ergo parabola à Christo adhibita, & à S. Matthæo con-  
signata primus est, eventum Regni cœlorum & eventum familie vinear  
cultui subjiciendas habenti comparare, imò ex eventu hujus eventum il-  
lius illustrare. Regnum cœlorum Matthæus illud vocat, quod, ipso an-  
notante, Johannes Baptista proclamaverat ante, Matth. III, 2. quod ipse  
Rex & Salvator ejus post Johannem intimaverat, Matth. IV, 17. quod  
precibus continuis cœlitus exorandum est, Matth. VI, 10. in ejus com-  
munionem non admittuntur verbis tantum Christum professi, hypo-  
critæ, jactatores miraculorum, sed sinceri & ad voluntatem Dei Patris  
compositi, Matth. VII 21. in quod, ejectionis diabolus, Rotæ, XI, 20. filiis re-  
gni, ab oriente & occidente venient homines, accubaturi cum Abraha-  
mo, Isaac, & Jacobo, Matth. VIII, 11. 12. ad ejus frequentationem A-  
postolica Dodecas electa & emissa fuit, Matth. X, 7. quod vim pati dicitur,  
Matth. XI, 12. cujus gloria & felicitas, sapientibus, & intelligentibus  
sua opinione justo judicio prateritis, infantibus quasi & simplicibus ad  
dispensandum revelata fuit, vers. 25. ad quod invitantur, quotquot pec-  
catis onusti sunt, velut ad destructorium peccatorum, & animarum re-  
stauratorium, vers. 28. 29. à quo etiam saluti generis humani ordinata  
nova & admiranda bona, quorum typum tanquam μερόπων habuit  
Mosaicum institutum, Hebr. X, 1. μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν  
vocantur, Matth. XIII, 11. utpote æternis temporibus ante tacita, Rom.  
XVI, 25. Eph. III, 9. Coll. I, 26. inter quæ est etiam illud de semine vivo &  
salvifico, verbo scilicet Evangelii, ejusque admirandâ & incomparabili in  
cordibus bonis fecunditate, Matth. XIII, 23. Perinde enim est, ac si Chri-  
stus dixisset; simile est regnum cœlorum agricolæ ad seminandum e-  
gresso, Matth. XIII, 3. sicut & accipitur regnum cœlorum eod. cap. v. 24.  
31. 33. 44. 45. 47. Est quæve hoc regnum cœlorum, è quo per Angelos suos

tandem Filius hominis omnia scandala est eieciurus vers. 41. ad quod DEUS excitat *παρρησίας & γοργυσίας παρρησίας & θέρους*, vers. 25. de quo falsas opiniones foverunt tempore Christi Israëlita, Matth. XVIII, 1. seqq. Est autem regnum cœlorum hoc non regnum gloriæ, in quo non ampliùs habetur vineæ etiam spiritualis cultura laboriosa, sed regnum gratiæ. Fuit equidem etiam sub V. T. regnum gratiæ, in quo seminis benedicti & benedictis viguit salus, Gen. III, 17. & c. XII, 3. eodemque merito eademque gratiâ salvati sunt Veteris Testamenti observatores quâ nos salvamur, Act. XV, 11 de quo & omnes propheta testantur, Act. X, 43. cum in nullo alio sit, quàm in Messia, salus, Act. IV, 12. quò sine & Moses de eo scripsit, Joh. V, 46. unde & in V. T. scripturis vita æterna continetur, eod. cap. V, 39. sed quia regnum gratiæ dispensabatur sub umbris & ceremoniis V. T. quas omnes submovit Novi Testamenti promulgatio, ideoque hæc imminente dicitur adventasse regnum cœlorum. Nimirum sub V. T. instar familiæ domesticæ fuit Ecclesia; adventante Christo ex angustiis educenda & in orbem terrarum, sine obligatione ad certum locum, propaganda, regni speciem obtinere cœpit, & augustiori forma resplenduit sub motis umbris. Sic igitur status & eventus regni cœlorum à Christo consideratus, ut magis illustretur, assumitur status & eventus in cultura vineæ obvius, aut faciliè dabilis. Unde cum dicitur, simile est regnum cœlorum alicui patrifamilias, & c. non hoc putandum, quasi patrifamilias & regnum cœlorum comparentur, quod nec hic, nec alibi hæc formulâ loquendi Matthæus indigitat; est enim locutio abbreviata, quasi diceretur, in regno cœlorum Regi ejusdem contingit, quod in cultura vineæ patrifamilias.

§ 3. SCOPUS parabola II. est, *dicitur & g. sta* cap. XIX. *ultima illustrare*. Venit ad Christum aliquis, qui Luc. XVIII, 18. vocatur *ἄρχων*, petiit quâ OPERANDI ratione vitam æternam consequi possit? Matth. XIX, 16. *τί ἀγαθόν ποιήσω, ἵνα ἔχω ζωὴν αἰώνιον?* De OPERANDO quærenti, legem non fidei, sed operum proponit Salvator, Rom. III, 27. Respondit parùm in divinis & tentationibus versatus *ὁ νόμος*, v. 20. se omnia ista, quæ scilicet *lex operum* præcipit, accuratè observasse, & custodivisse à juventute sua, h. e. à *prima hora* ætatis suæ, ut vers. 20. loquitur. Christus introspectò juvenis corde & vitâ observavit, charitatis per legem operum præcepta vim eum nondum penetrasse, sed in extrinsecorum operum cortice adhuc hære. Itaque consultum esse censuit cœlestis

lestis sapientia, si postulato aliquo inopinato tentaretur. Unde dixit ipse, non quod ordinariè ex lege charitatis hoc ab omnibus indifferenter requiratur, aut quod tanquam consilium perfectionis majoris consequenda à quibusvis quocumque vitæ statu æstimandum sit, (non enim consilium est perfectionis, sed probatio eximii cujusdam amoris, à Christo extra ordinem imperata, v. 21.) ut ductus amore DEI, ad Christinum hunc specialem, vendat omnia, & Christum sequatur. Hoc sublimè postulatam prodidit animum hominis parùm radicati in charitate, quam lex divina postulat. Prodidit ipsum non sincerè, & ex charitate, soli DEO inhærentis, soli ejus voluntati acquiescentis, in finctu ista, ut dixit, omnia fecisse juventure sua: h. e. ut grandia ipsius verba in parabola carpit Salvator, portasse *ἵνα βάλῃ τῆς ἡμέρας, καὶ τὸν κάσωνα*, c. XX, 32. Unde ineptum ejusmodi hominem ad regnum cœlorum judicavit, c. XIX, 23. 24. Perterrefactis istâ expeditione discipulis, Petrus confidentior cæteris, v. 27. existimat, cum sua fata perpenderet, se asscetum esse imperii CHRISTI augustam amplitudinem, quandoquidem ipse cum collegis suis reliquerit omnia, & CHRISTUM secutus sit. Audet ergo postulare, *ἵνα ἀγορεύσῃ αὐτῶν*, vers. 27. Ibi respondet CHRISTUS, se non acturum cum ipsis contractu stricto, sed ex summa & infinita gratia, a deo quæ ipsos ab æstimatione regularum suarum tenuissimarum debere abstinere. Id quod ipse daturus est, infinite & incomparabiliter excedere & excellere ea, quæ ab ipsis relicta sunt. Ringentibus sc. proceribus Judæorum, & ad incitas contemptissimas reductis, ipsos, CHRISTI scil. discipulos, in summa regni cœlorum eminentia versaturos. Quanta est differentia inter egenum aliquod mundi sive opificium, sive officium, & inter quosvis orbis Reges; tale futurum discrimen inter exilem vitæ conditionem, quam reliquerunt, & inter statum futurum, quo, CHRISTO ad thronum gloriæ exaltatò, ipsi super duodecim thronos sunt sessuri, & judicaturi duodecim tribus Israël, v. 28. Nec hoc discipulis tantùm promittit, sed insuper v. 29. omnibus illis, qui, casu necessitatis exigente, & postulante gloriâ Dei, pro Jesu Christo omnia temporalia relinquunt, & centupli refusionem, & vitæ æternæ hæreditatem ex eadem infinita gratia pollicetur. Unde subnectit Aphorismum, vers. 30. & multi primi sunt futuri novissimi, & novissimi primi; scil. quia illi, qui se primos æstimarunt, nec ex sincera charitate fecerunt, quod se fecisse jactitarunt, cum apicem charitatis attingere, h. e. ad voluntatem JESU relin-

relinquere omnia noluerint, & ex contra & iustitiæ omnia sua æstima-  
rint, quod erga DEUM fieri non debet; hi verò, qui novissimi eonditio-  
ne, novissimi muneribus, opibus, affectibus, opinionibus fuerunt, & ad  
nutum CHRISTI patris familias se composuerunt, pro exilibus omni-  
bus, à quibus simplici animo exierunt, summa & sublimia omnia sunt  
accepturi, quæ ad ista collata immensè excedunt. Ergò primi, summi, fe-  
lices, beatiqve meritò vocantur. His ita expositis, CHRISTUS subne-  
dit parabolam, cap. XX, 1. & quòd ad antecedentia pertineat, per parti-  
culam γὰρ indigitat: simile ENIM est regnum cœlorum; & vers. 16.  
concludit per ἐπ' ἀνοδον: ἄρως ἔσονται οἱ ἔργατοι πρῶτοι, καὶ οἱ πρῶτοι  
ἔργατοι q. d. non ex lege factorum, ut ὁ ἀρχων putavit, sed ex immensa  
charitate, & incomparabili liberalitate procedit paterfamilias cœlestis.  
Frustratur opinione primitatis turgidos, abjicit, ut novissimi fiant. Hu-  
miles, simplices, sinceros extollit, ubicunqve & quandòqve placet.

§. 3. SCOPUS parabolæ III. non est *declaratio absolute voluntatis  
divine, quâ tribuit dona sua spiritualia & sanctificantia DEUS aliqui-  
bus, quâque aliquibus numero plurimis quidem eadem denegat.* Eam  
quidem eliciunt ex altera conclusione parabolæ, quæ est Matth. XX,  
16. *Multi vocati, pauci electi.* Calvinus quidem in Harmon. p. 298. non  
quadrare ista verba ad parabolam censet, sed ab aliquibus inserta esse ex  
Matth. XXII, 14. contendit; sed Paræus Comm. h. l. clausulam illam re-  
tinendam esse, contendit, quia & in omnibus Codd. græcis, Syris & vul-  
gati interpretis reperitur, & accommodatissimum est parabolæ, verba  
illa retineri. Ita verò applicat verba parabolæ: *Continent enim, inquit,  
rationem seu causam tantæ vicissitudinis futuræ in operariis, quod cum  
multi, h. e. omnes isti operarii primi, medii, ultimi, fuerint in vineam vo-  
cati, non omnes tamen, sed pauci, h. e. soli ultimi ex illis, qui fuerunt in  
vineam vocati, quibus & medii accensentur, accipiunt denarium gra-  
tiæ, seu vitam æternam. Quæ causa? Proxima sanè causa fuit in ipsis  
operariis; illos enim suus fastus & meritorum fiducia regno cœlorum ex-  
clusit: istos fiducia gratiæ & misericordiæ Domini acceptabiles fecit in  
CHRISTO. Sed unde hæc causa proxima in utrisque? In illis sanè su-  
perbia & fiducia meritorum fluxit ex libera & prava eorum voluntate,  
quam CHRISTUS quidem hic non attingit, quia per se patet. In istis  
verò fiducia gratiæ & misericordiæ Dei non ex viribus liberi arbitrii,  
sed ex æterna DEI electione profluxit, idè enim ultimi pauci facti sunt  
primi,*

primi, quia ab aeterno ad fidem & vitam aeternam in CHRISTO electi;  
Ita etiam scribit Jod. Naum. Herborn, Profess. in Evang. Dom. pag.  
187. Hieronym. Zanch. de DEO & attribut. Lib. V. cap. II. quæst. IV.  
p. 597. Ex Pontificiis Did. Alvarez. de Auxil. grat. Lib. V. Disp.  
XXXVI. n. 23. p. 343. ex hac parabola elicit; in his, quæ sunt omninò gra-  
uita, non habere locum acceptionem personarum; & quia beatitudo æ-  
terna & gratia nulli puræ creaturæ debetur, non esse acceptionem per-  
sonarum, quòd DEUS pro sua gratuita voluntate unum eligat ad vi-  
tam aeternam, alterum non eligat, etiamsi omnes sint æquales. Unde  
adedo excludunt, qui eum sequuntur, omnem aliam causam electionis  
& reprobationis præter simplicem divinam voluntatem, eamque be-  
neplaciti & absolutam, diffidentur, ut etiam meritum CHRISTI  
excludant. Ita enim Ad. Tannerus Tom. I. Theolog. Scholastic. Disp.  
III. quæst. IV. dub. II. assert. IV. num. 10. col. 768. Tametsi qui-  
dem CHRISTUS sit causa meritoria electionis nostræ etiam in par-  
ticulari spectata, ut est efficax & absoluta horum vel illorum dilectio,  
seu destinatio ad gratiam & gloriam; attamen si loquamur de electio-  
ne comparativè, ut est electio aliquorum præ aliis, seu ut est hujus vel  
illius potius, quàm aliorum, adeoq; si loquamur de ipsa libera determi-  
natione divina, ad has potius, quàm ad alias personas prædestinandas,  
VERIUS est, si propriè loquendum sit, electionis ita spectatæ cau-  
sam ex parte CHRISTI nullam assignari posse, sed eam solùm refe-  
rendam in ipsum divinæ voluntatis propositum & beneplacitum: quia  
electio sic spectata ita unius dilectionem significat, ut simul etiam con-  
notet & includat desertionem alterius, cujus tamen merita CHRISTI  
causa non sunt. Et merita CHRISTI, ut ratione antecedentia  
nostram prædestinationem, ex se erant causa universalis & quasi in-  
differens prædestinationis: nec minus apta ad prædestinationem hujus  
quàm illius, aut omnium, quàm aliquorum. Quare ex vi illorum  
meritorum potuisset DEUS hominem ad beatitudinem efficaciter ordi-  
nare, nullam electionem inter eos faciendo, sed aut omnes efficaciter  
prædestinando, aut omnes solùm sufficienter ordinando ad gloriam.  
Thomas Stapletonus in Antidot. Evang. ad h. l. pag. 221. CHRISTUS,  
inquit, manifestè vers. 16. ostendit, idèo hanc parabolam propositam  
fuisse, ut doceret ex DEI beneplacito sic multos vocari, ut pauci eli-  
gantur, idè; ita, ut inter illos, qui videbantur primi & electi, fiant no-  
vissimi

B

vissimi

missimi ac rejecti, & contra, qui videbantur novissimi, & penitus rejecti, (sicuti gentes toto orbe dispersæ, & discipuli, qui CHRISTUM sequebantur, quos Scribæ & Pharisei pro abjectissimis habebant) fiant primi & inter electos singulariter deputati. Sanè enim illa declaratio absolutæ voluntatis divinæ tum eligentis, tum reprobantis potius contrariatur, quàm concordat scopo Salvatoris nostri. Etiam si enim summâ DEUS utatur libertate in donorum suorum dispensatione & distributione, non tamen & naturæ regni cœlorum & promissionibus regnum illud explicantibus convenit, ut ex absoluta, & omnes causas, omnem ordinem antegrediente voluntate hos eligat, illos reprobet. Conf. Joh. III, 16. 1. Tim. II, 4. Matth. XI, 28. Act. XVII, 30. &c. Et quomodo ista absoluta divina voluntas concordabit cum antecedentibus? Dicendumne, ex absoluta divina voluntate factum esse, quòd juvenis illa scholarcha non paruit postulato CHRISTI de se, relictis omnibus, sequendo? CHRISTUS conjicit causam, non in absolutam Patris sui cœlestis voluntatem, sed in nimium & inordinatum bonorum temporalium amorem, Matth. XIX, 23. 24. Ita etiam in vocatione, adumbratâ per vocationem operariorum in vineam, nullam absolutam voluntatem divinam deprehendere fas est, nisi quoad circumstantias, quæ ad substantiam negotii salutis non pertinent. Muneratio etiam in quæstione, an sit omnibus decreta, fuit, licet quantitas dispensandæ largitatis ex solo beneplacito divino dependere dicatur. Ponuntur igitur ista verba tanquam confectarium parabolæ, scil. uti in regno cœlorum evenit, in primis hominum vitio, ut primi fiant novissimi, h. e. multitudo magnum splendorem de se spargens non eo loco apud DEUM habeatur, quòd pusillus grex, ita, ut sicuti reverà pauci regno cœlorum sincere cohærent, ita etiam vocatorum cohors magna sit, cætus electorum exiguus. Quòd autem in electione æterna omnibus oblatum CHRISTI antilytron, 1. Tim. II, 6. non obtineant respectu omnium, neutiquam ex absoluto DEI beneplacito dependet, sed quia plurimi repudiant CHRISTUM cum suo merito, Joh. III, 18. Act. XIII, 46. abnegant Dominum, qui eos emit, 2. Petr. II, 1. post adeptam etiam cognitionem ejus rursus implicantur iniquitamentis mundi, vers. 20. Conf. Hebr. VI, 4. seqq. & X, 29.

§. 4. SCOPUS parabolæ IV. non est, *asserere DEO patri-  
familias aliquod jus & Dominium absolutum in creaturas suas, ut  
etiam salvâ suâ justitiâ & summâ Sanctitate possit creaturam ratio-  
nalem immerentem aternis suppliciis affligendam tradere.* Ita quidem  
accipiunt parabolam, cum in ea asseritur, *Patremfamilias vocare  
quidem bos vel illos homines, & de præmio certos facere, interim  
summâ quâ pollet potestate, quâ vers. 15. ἐξουσίαν ποιῆσαι ὃ θέλει ἐν τοῖς  
σούϊς, ad quæ pertinent omnes homines, facere aliquos novissimos &  
in aeternum pereuntes.* Joh. Szydlovius Polon. in Vindic. quæst. con-  
troverti. cap. XI. pag. 144. de ea absoluta potestate disputat, & pag.  
149. dicit: *esse nocentem vel innocentem, dicitur ex hypothese legis. In-  
tellectui autem DEI reprobantis, prædestinantis, imputantis, decernentis,  
&c. talis creatura objici non potuit, nam DEUS de fine illius de-  
crevit, antequam quicquam boni vel mali fecisset.* Totum hoc, quod  
DEUS vult, hoc ipso, quia vult & facit, est justum, sanctum & pium.  
Prævit Szydlovio Tvivillus de Elect. Lib. V. part. II. pag. 157. cum ait:  
*Non omnis justa actio prærequirit causam meritoriam, sed tantum-  
modo justa actio DEI ut judicis, non autem justa actio DEI, ut Domi-  
ni vita & mortis.* De eadem quæstione in oppositum disputat Jac.  
Triglandus de voluntate DEI pag. 69. seqq. *Hoc enim si esset, (1) DE-  
US posset malum miserie velle quâ tale, quod fieri nequit. (2) Repugnat le-  
nitatis, clementia, misericordia, & Φιλανθρωπία DEI. Quomodo enim  
verè bonus, misericors, clemens, Φιλάνθρωπος dicitur, qui hominem  
innocentem, nihil mali merentem, imò sanctissimum, affligeret & gravissi-  
mis cruciatibus subjiceret. (3) Creatura rationalis immerens alia esse  
non potest, nisi quæ DEUM diligit perfectâ dilectione. Dilectio ista  
oritur ex consideratione bonitatis divina, quâ creatura illa agnoscit  
DEUM, ut summum bonum, & quidem summum suum bonum. At ex  
illa sententia creatura ista immerens posset simul & deberet DEUM  
considerare ut summum suum malum, utpote à quo, à cujus conspectu  
in gravissimos cruciatibus conjiceretur. Quæ duo SUA se mutuo e-  
vertunt. (4) Justitia & sanctitas, in quâ sita est innocentia, unde ho-  
mo innocens & immerens dici potest, est pars imaginis divina. Ab-  
surdum autem est, & à veritate prorsus alienum, statuere, quòd DEUS  
creaturam, in qua imago sanctitatis & justitiæ ipsius planè relucet,  
affligere vellet & excruciare. (5) Afflictio illa oriri debet vel ex amore*



erga creaturam immerentem, vel ex odio. Amor enim & odium affectiones sunt voluntatis. Ex amore oriri non potest. Malum enim miserie amoris effectus ut sit, planè est absonum. Nec ex odio: fieri enim non potest, ut DEUS creaturam immerentem, vel, uti loquuntur, sanctissimam odio habeat. Odisse enim non potest DEUS nisi malum. At tamen ex odio oriri deberet. Nam sicut amor in DEO est voluntas benefaciendi, ita odium est voluntas malè faciendi, affligendi, perdendi. Deberet ergò DEUS odisse, quod bonum est, & imaginem ejus exprimit. His ita disputatis, rationes in contrarium solvit, atque adeò Tvvissum suum confutat. Conspirat tamen cum Tvvisso Moses Amyraldus Salmurienfis Profess. Scripsit enim alicubi: si DEUS statim, postquam hominem condidit, cum in profundam inferorum abyssum demersisset, nullà habità ratione actionum ipsius seu bonarum seu malarum, tantùm ut summum suum in creaturas imperium ostenderet, debuisse hominem in ea severitate non invitum acquiescere, quia creatura Creatoris est ex absoluto jure ac indefinito. Hoc assertum defensum in Dissertatione peculiari de Jure DEI in creaturas edit Salmur. Anno M. DC. XLV. Nostra certè parabola ad jus & dominium DEI absolutum in hominem non pertinet. Et quòd dicit, DEUM potestatem habere cum bonis suis faciendi quod vult, ad liberam eorum dispensationem, non autem ad punitionem & damnationem spectat. Viderint interim Supralapsarii h. e. illi, qui statuunt, DEUM ante prævisionem lapsus jam aliquòs homines, imò maximam humani generis partem, reprobasse, quomodo non idem cum Szydlovio asseverare cogantur. Certè illè pag. 147. argumentum ex ista Supralapsariorum doctrina pro sua sententia format. Quia, inquit, DEUS, ut prædestinat aliquos ad vitam sine prævisione alicujus qualitatis impulsivè bonæ, ex mere beneplacito, ita & reprobat sine intuitu peccati. Aliàs enim reprobationis, quæ est ipsissima voluntas DEI, causa daretur extra DEUM. Quòd absurdum est, quia volitionis nunquam causa datur in DEO, præter DEUM ipsum: idè ob independentiam DEI & immutabilitatem, sed voliti datur causa, h. e. non reprobationis, sed damnationis. Jam autem si reprobare DEUS sine intuitu peccati potest, quidni etiam creaturam innocentem affligere possit? Quid enim est reprobare, nisi ordinare ad interitum?

§. 5. SCOPUS parabola V, non est, duplicem divinam vocationem constituere, unam exteriorem, alteram interiorem. Ita quidem ex parabola colligit Jodoc. Naum, loc. cit. qui id hausit ex Piscatore, qui in Analyfi inter tres sententias, quas CHRISTUS illâ similitudine voluit insinuare, tertio loco hanc collocat: *quod non omnes, qui vocantur externè, vocentur etiam internè, sed tantùm electi.* Et vers. 16. in observat. XIII, ita cum loco Pauli Rom. IIX, 30. conciliat: *CHRISTUS loquitur de vocatione externa, quâ per Evangelii prædicationem vocantur tam reprobi, quàm electi: at Paulus loquitur de vocatione interna seu efficaci, quâ Spiritus Sanctus per Evangelii prædicationem est efficax in cordibus electorum, donando illis fidem, quâ justificentur.* Est autem ista communis Calvinianorum doctrina. Eodem collimat, quod Ludov. Granatensis Conc. de tempore Tom. I. Domin. Septuages. pag. 552. hoc inter vocatos & electos discrimen constituit, quòd multi dicantur vocati, quia videlicet minoribus auxiliis vocantur; pauci verò electi, qui videlicet aut majoribus ad hoc auxiliis juvantur, aut sufficienti illo, quod nemini negatur, auxilio feliciter utuntur. Minora autem auxilia Bellarminus vocat gratiam sufficientem; majora gratiam efficacem. Hanc collocat Lib. I, de Grat. & Lib. arbitr. cap. XII, *Vide hîc*, in interna persuasionem, cum ait, *gratiam efficacem, quæ infidelium corda convertit, & quæ operatur voluntatem bonam in nobis, esse vocationem aliam atq; secretam, quæ in sensum internum, hoc est, mentem agit, atque illi persuadet, ut sensum doctrinæ, quæ sibi prædicatur, accommodet.* Unde gratia sufficiens erit concio externa, vocatio externa: de qua ita cap. XIII. disserit: *Concio externa admovetur auribus corporis: concio interna, auribus cordis. Concio externa solum proponit objectum, sed non infundit lumen menti ad illud cognoscendum, neq; aspirat affectum ad illud dirigendum: at interna divina persuasio aliquando proponit objectum, quod est illi commune cum externa; sæpius autem utitur externâ pro instrumento, semper autem lumen infundit, & afflat initium bonæ voluntatis, quod est quasi semen, unde postea oritur fructus voluntatis perfectæ & deliberatæ.* Unde in summa rei Calvinismus & Papismus contedit. Parabola autem nihil ad istam distinctionem facit. Nam vocatio sive conductio in vineam apud omnes efficax fuit ab initio quòd autem in fine effectus vocationi divinæ parùm consentanei sese

exerunt, non ex defectu gratiæ efficacis oritur, sed ex defectu vo-  
catorum. Conf, Hebr, III, 6. & 4.

§. 6. SCOPUS parabola VI. non est, gratiam quandam extra-  
ordinariam nobis insinuare. Ita quidem ex h.l. collegit Simon E-  
piscopus Arminianus in Respons. ad quæst. LXIV. Theol. qu. XV,  
Tom. II. Oper. pag. 14. Constituit spem duplicem: unam, quæ nititur  
ordinariâ, certâ atq; expressâ DEI promissione: alteram, quæ extraor-  
dinariâ DEI gratiâ & ordinaria promissionis extensione nititur,  
quâ DEUS aliquando uti potest pro libero suo jure, & uti se velle de-  
clarat; quæ fieri potest, & faciendâ est iis, qui quàm proximè accedunt  
ad pœnitentes & respicientes istos, quibus ordinaria gratia ac venia  
promissio facta est: cujusmodi sunt ii, qui per vitam suam totam nullò  
verò seriòq; DEI timore tacti fuerant, tandem tamen morte instante  
ex animo pœnitentia vite antea ducuntur, seq; indignos confiten-  
tentes, quibus ordinaria gratia fiat, ex fide in JESUM CHRISTUM  
ad clementiam DEI confugiunt & gratiam ejus, quanta possunt animi  
contentione, ambiunt, prompti paratiq; si vitâ suppeteret, viresq; per-  
mitterent, totos sese componere ad præscriptum Evangelii JESU CHRI-  
STI, quò gratia DEI ordinaria compotes fieri possint. Ut id cre-  
dam, adducor parabolâ, quâ usus est Dn. JESUS Matth. XX, 1. & c.  
operariorum scil. istorum, qui undecimâ diei horâ conducebantur ad  
operandum in vinea, & pari cum ceteris, qui primâ luce tertiâq; diei  
horâ ad easdem operas conducti fuerant, mercede ac præmiò afficie-  
bantur, cum tamen otiosi, id est, nihil agentes, aut nulli Domino ser-  
vientes operamq; suam impendentes in foro deprehensi fuissent. Etsi  
enim Scopus parabola fortè non est, indicare, DEUM aliquando etiam  
peccatoribus, in extremo vite agone, quantum in se est, pœnitentiâ a-  
gentibus, veniam & gratiam peccatorum facere velle, tamen sensus para-  
bole est, DEUM aliquando extraordinariâ gratiâ circa peccatores uti  
posse, & uti velle; quæ cur ad ejusmodi, quos jam descripsimus peccatores  
extendi non possit, causa nulla est. Extraordinaria ista gratia in-  
dicatur voce electorum sive electionis. Multi enim sunt vocati, pauci  
electi, id est speciali illâ gratiâ à DEO donati, ut quanquam impar  
longè est eorum labor in vinea Domini, labori eorum, qui ordinariè  
vocantur, pari tamen laboris fructu cum illis gaudeant. Hæc E-  
pisco-

piscopus, à quo in eo non dissentimus, quòd ejusmodi extraordinariam gratiæ cœlestis dispensationem statuit. Non satis autem ostendit, quomodo illa ex parabola possit elici. Nam qui undecimâ horâ vocantur, non necessariò gratiâ extraordinariâ vocantur. Tempus enim vocationis non facit per se gratiam extraordinariam. In mediis potius sita est ea, quàm in tempore. Et sive de ætatibus mundi, sive de humana ætate interpretemur horas exeuntis & vocantis Spiritus Sancti, seu CHRISTI patrisfamilias, statuere gratiam extraordinariam, necesse non est. Nam in quacûnque ætate mundi sive seculorum per ordinariam gratiam fieri potuit conversio, sive vocatio hominum ad regnum cœlorum. Uti nec magis unâ mundi ætate, postremâ scilicet cum hora undecima comparatâ, gratiam extraordinariam dispensatum iri dici potest, quàm vel penultima, vel antepenultima. Sed & cur extraordinariam gratiam ad eos, qui undecimâ horâ vocantur, referat Episcopus, causa nulla est. Possunt enim cujusvis ætatis homines vocatione extraordinaria & extraordinaria gratia beari. Ipsi etiam infantes in casum necessitatis conjecti gratiâ extraordinariâ ad salutem perducì possunt, ut alibi probatum datum est. Et qui undecimâ horâ in vineam vocantur, gratiâ ordinariâ in eandem & regnum cœlorum pervenire possunt. Illud autem planè novum & inauditum est, quòd dicit Episcopus, extraordinariâ gratiâ vocatos hoc loco esse *electos*. Sic sanè *electi* in sacris literis nullibi accipiuntur. Certè Matth. XXII, 14. ubi eadem sententia habetur, per *electos* non intelliguntur extraordinariâ gratiâ ad nuptias spirituales vocati, sed ordinariâ. Quâ namque gratiâ prima & secunda vice ad nuptias spirituales vocati sunt, eadem & tertia, quos *electos* CHRISTUS vocat: eâ, qui tertia vice vocati sunt, introducti sunt in aulam magni Regis, in triclinium intromissi, ad epulas immortalitatis admissi & veste nuptiali donati, licet inter eos latitaverit aliquandiu contemtor vestis nuptialis, vers. 11. 12. Sic nec Matth. XXIV, 22. *ἐκλεκτοί*, propter quos dies tribulationum horrendissimarum abbreviabuntur, sunt gratiâ extraordinariâ vocati. Conf. vers. 24. cap. dict. Et quando vers. 31. Angeli Majestatis CHRISTI congregabunt *electos* ex omnibus orbis terrarum partibus, non sanè solum gratiâ extraordinariâ vocati congregabuntur.

Ita

Ita nec extra Mathæum alibi in N. T. illa significatio repetitur. Neque etiam consequens est, eos, qui extraordinariâ gratiâ ad regnum cœlorum pervenerunt, præferendos esse illis, qui gratiâ ordinariâ ad illud pervenerunt. Neque enim qui in gratia ordinaria perseverant si fuerunt primi, tales in iudicio esse desinunt, quia alii vocati sunt gratiâ DEI extraordinariâ: neque gratia DEI extraordinaria ita dispensatur, ut semper in primorum locum eos, qui istâ fruuntur, colloquet. Et quàm frigida reddetur sententia Christi aliâs tremenda? Novissimi, scil. qui extraordinariâ gratiâ vocati sunt, erunt primi, h. e. in eorum reponentur locum, qui primi, seu ordinariâ gratiâ vocati fuerunt. Et multi sunt vocati, scil. gratiâ ordinariâ, pauci electi, scil. gratiâ extraordinariâ?

§. 7. SCOPUS parabola VII. non est, inter omnes sanctos & electos in regno gloria eundem beatitudinis & gloria gradum constituere. Jovinianus æqualitatem gloriae inter sanctos in vita sempiterna asseruit, teste Hieronym. lib. II. contra eundem pag. 177. ubi notat, cum adducere hunc locum pro sua sententia. Respondet autem hōc modō: Si operariis prima hora & tertia & sexta & nona & undecima unus denarius redditur, & ab eis incipit premium, qui novissimi in vinea laboraverunt, & hīc non unius temporis & unius ætatis homines describuntur, sed ab exordio mundi usq; ad finem; vocationum sunt sacramenta diversarum. Primâ horâ vocatus est Abel & Seth; tertiâ Enoch & Noë; sextâ Abraham, Isaac & Jacob; nonâ Moses & Propheta; undecimâ gentium populus, cui primo redditur merces, quia in crucifixum credens Dominum difficultate fidei magnitudinem meruit premium; multiq; Reges & Prophetae quæsi verunt videre, quæ videmus, & non viderunt. Unus autem denarius non est unum premium, sed una vita & una de gehenna liberatio. Ceterum quomodo ad indulgentiam principalem diversorum criminum rei dimittuntur è carcere, & unusquisq; pro labore vel operibus suis in hoc vel in illo statu vita est: ita & denarius quasi indulgentia veri principis omnes per baptismum emittit è carcere. Jam nostri laboris est, pro diversitate virtutum diversa nobis premia preparare. Sed profectō Hieronymus satis intricatē Joviniano respondet. Nam putat primi qui fuerunt, eos manere intra regnum cœlorum, & in eo persistendo, quia ab ultimis superantur fide & abnegatione sui, fieri novissimos.

Non

Non potest aliter, dum Abelem & Sethum, Enochum & Noam, Abrahamum, Isaacum & Jacobum, Mosem & Prophetas inter primos recen-  
 set; populum autem gentium inter novissimos. Hac verò interpreta-  
 tio consistere nequit. Nam *partim* de populo è gentibus fidei in univer-  
 sum dici non potest, quòd primis, hoc est, summis illis V. T. viris & quasi  
 heroibus fidei fuerit non tantum comparatus, sed etiam prælatus, & in  
 ipsorum ἀξίωμα collocatus. Manent profectò primi, cum quibus,  
 qui ex oriente & occidente venturi sunt, accumbet in regno cœlorum,  
 & quidem quasi in sinu primorum. Manet Abraham primus & Pater  
 credentium, Rom. IV, 18. *Partim* planum non est, illos primos à po-  
 puli gentium etiam primariis difficultate fidei, quàm in Christum crucifi-  
 xum crediderunt, fuisse superatos. Nam & summi sanctissimiqve illi  
 Prophetici viri crediderunt Spiritui Sancto *προμαρτυροῦντα τὰ εἰς*  
*Χριστὸν παθήματα, καὶ τὰς μετὰ τὰυτὰ δοξάς*, 1. Petr. I, ii. & Abra-  
 ham credidit contra spem in spem, Rom. IV, 18. seq. & Moses pluris æsti-  
 mavit contemptum Christi, quàm divitias thesaurosque Ægypti, Hebr. XI,  
 26. Non est ergò dicendum, primos illos esse Patriarchas intra regnum  
 cœlorum perseverantes. Illi nunquam murmurarunt. Illi non vocati  
 tantum, sed etiam electi fuerunt. Primi, qui novissimi futuri sunt æstimo  
 & censu patrisfamilias, sunt adumbrati in scholarcha juvene. Hic ad re-  
 gnum gratiæ per verbum, sacramenta & sacrificia vocatus fuit à juven-  
 tute. Tulit etiam suo iudicio per rigidam mandatorum divinorum ob-  
 servantiam τὸ βάρος καὶ τὸν κάυσωνα τῆς ἡμέρας, cap. XX, 12. Matth.  
 & putat, se omnia ista decalogi præcepta non tantum observasse, sed et-  
 iam custodivisse à juventute sua. Etsi primum locum merentur, qui pri-  
 ma illa & summa præcepta custodiunt, existimabat, se primis accensum  
 dum. Excidit autem opinione primatus, dum voluntatem suam in vo-  
 luntatem Christi resignare nequit. Hoc Christus interpretatur, quòd non  
 venturus sit in regnum cœlorum. Primi ergò, qui novissimi fiunt, non  
 manent in regno cœlorum, tanquam gradum tantum mutantes, sed exi-  
 eo excidunt. Prætereà denarius non rectè dicitur *donatio vitæ* & *emissio*  
*per baptismum ex carcere infernali*. Nam vocati in vineam non denarii  
 acceptione consequente, sed ipsà vocatione antecedente donantur vitâ  
 spirituali, & emittuntur ex carcere. Mortui enim spiritualiter, quales  
 sunt ante vocationem homines, Eph. II, i. non eunt ad laborandum in  
 vinea. Jovinianum sequitur in allegatione loci hujus P. Martyr. Comm.

C

in

in 1. Cor. XV, 39. pag. 225. Frid. Spanhemius Dub. Evangel. CXXXV. part. III. p. 762. Patres communiter per Denarium vespertinum regnum gloriae & aeternam beatitudinem intelligunt. Sic Gregorius Nazianzenus Orat. XL. in S. Baptisma, & ejus Commentator Nicetas Setronius, in ea verba: *Verum dicet quissiam.* Chrysoftom. Homil. LXX. in Matth. Augustinus de sancta Virg. Tom. VI. Operum, cap. XXVI. pag. 822. & de verbis Dom. Serm. LIX. Anselm. Cantuar. Comm. h. l. Conf. & Isidori Pelusiota Lib. I. Ep. XLIX. & XCVIII. Tertullian. de Monogam. cap. XIX. Johann. Hierosolymitan. (quem P. Wastel. autorem operis imperfecti in Matth. facit) ad Matth. XX. pag. 242. Hilarium in Matth. Can. XX. pag. 339. Et quidem Gregorius Nazianzenus l. c. ita aequalitatis aequitatem in vita aeterna tuetur, cum inquit: *Tametsi ad laboris modum plus contulerint, qui ingressi sunt priores, non tamen quantum ad animi liberamque voluntatis modum. Eaque, etiam ratione postremis forsasse amplior merces debebatur, etsi quodammodo absurdum videri possit, quod dico. Nam quod posterius ingressi sint, ea causa fuit, quia posteriores, ad vitis excolenda operam vocati sunt. In ceteris autem rebus quantum alios antecelluerint, videamus. Illi enim non prius crediderunt, nec ingressi sunt, quam ipsis ex convento merces constituta fuisset, hi nulla condictione mercede ad laborem accesserunt: quod quidem majoris fidei argumentum est. Ad haec illi invidi & queruli murmuratores inveniunt, his nihil tale obicitur. Tum etiam illis mercedis rationem habebat, quod donabatur licet improbis atque perversis; his gratia. Quare merito factum est, ut amentiae, stoliditatisque, damnati ampliori quoque mercede caruerint. Quid autem ipsi quoque accepturi erant, si serius ipsis venire contigisset? aequam utique mercedem. Quae igitur fronte operarum conductorem criminantur, velut in aequa mercedis persolutione ab aequitate recedentem? Haec omnia sudoris gratiam primis detrabuunt ac labefactant, etiam si priores labore fatigati sunt. Ex eoque efficitur, ut aequali huic mercedis distributioni sua constet aequitas, nimirum animi voluntate sum labore compensata. Hanc explicationem interpretes Latinus Nazianzeni vocat subtilissimam. Sed non solvitur obiectio Jovinianitarum. In aliam sententiam disputat Augustinus l. c. cum ait: *Quid tibi ergo vult, inquiunt Jovinianista, ille denarius, qui opere vineae terminato aequaliter omnibus redditur, sive is, qui a prima hora, sive is, qui una hora operati sunt? Quid utique nisi aliquid significat, quod o-*  
mnes*

omnes communiter habebant, sicuti est ipsa vita aeterna ipsum regnum  
coelorum, ubi erunt omnes quos DEUS praedestinavit, vocavit, iustifica-  
vit, glorificavit? Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem,  
& mortale hoc induere immortalitatem. Hic est ille denarius merces o-  
mnium. Stella tamen à stella differt in gloria sic & resurrectio mortuo-  
rum. Haec sunt merita diversa sanctorum. Si enim caelum significaretur il-  
lo denario, nonne in caelo esse omnibus est commune sideribus? Et tamen a-  
lia est gloria Solis alia Luna, alia stellarum. Si denarius ille pro sanitate  
corporis poneretur, nonne cum rectè valemus, omnibus membris commu-  
nis est sanitas, & ipsa si usq; ad mortem perveniat, pariter & aequaliter o-  
mnibus inest? Et tamen posuit Deus membra singulorum quodq; eorum in  
corpore prout voluit, ut nec totum sit oculus, nec totum auditus, nec totum  
odoratus: & quicquid est aliud, habet suam proprietatem, quamvis aequa-  
liter habeat eum omnibus sanitate. Ita quia ipsa vita aeterna pariter  
erit omnibus sanctorum, aequalis denarius omnibus attributus est. Quia verò  
in ipsa vita aeterna distinctè fulgebunt lumina meritorum, multae sunt  
mansiones apud Patrem; ac per hoc in denario quidem non impari, non  
vivet alius alio prolixius, in multis autem mansionibus honoratur alius  
alio clarus. Et hanc quidem Augustini mentem exprimit Thomas A-  
quin in I. I. summ. qv. V. art. II. ad I. Dominie, Scotus in IV. Sent. dist. 59.  
qv. art. III. Art. II. VIII. Barth. à Medina ad I. Thom. pag 63. hoc modo:  
Si attenditur objectum & causa beatitudinis, beatitudo una est, qui est  
DEUS. Atque haec unitas significatur denario quem acceperunt omnes  
qui in vinea laboraverant. Si autem attenditur adeptio & fructio sum-  
mi boni, unus potest esse beator altero: atq; hoc modo dicitur diversi-  
tas mansionum. Verum enim verò nec Greg. Nazianzeni, nec Aurel. Au-  
gustini explicatio ad propositum facit. Non illa, quia pugnat contra  
scopum Salvatoris: est autem ille, ut supra jam dictum, summam DEI  
Patris & libertatem & liberalitatem in suorum familiarium tractatione  
commendare, utpote qui, quae nobis maxima videntur & summa, in-  
corporabiliter majoribus & superioribus beneficiis suis obruit aded, ut  
pretiosissima nostra etiam minimis bonis divinis non sint digna: & quae  
nos ipsi tenuia fateri cogimur, ipse inestimabiliter remuneretur. Jam si  
etiam in novissimorum labore ea sunt, quibus primorum labor aequa-  
tur, quâ ratione aliqua liberalitas supereminens obtinebit? Quomodo  
stabit vox patrisfamilias; anne oculus tuus nequam est, quod ego



tam bonus sim? Quæ enim est singularis bonitas, si tantum uni debetur propter animi voluntatem, quàm alteri propter laboris quantitatem? Et quomodo peculiariter potestate quâdam dispensandi sua utitur, si ex iustitia dispensat? Dicere debuisset paterfamilias, anne oculus tuus nequam est quòd ego justus sum? Urgeri solet etiam contra Gregor. Nazianzeni explicationem murmuratio, quæ nulla futura fuisset, si tantum pondus in brevi temporis laboribus novissimorum perspectum fuisset: & primi non allegant tantum diuturnitatem temporis, sed etiam laboris gravitatem, arduitatem, fidelitatem. Respondetur: murmurationem non esse inter necessarias & scopo in primis conducibiles parabola partes, sed ad accessoria pertinere. Verum enim verò responsio illa consistere nequit. Nam omnino murmuratio ad scopum requiritur. Videbatur illa esse in novello Scholarcha orta, cum imperium Christi de relinquendo sua omnia & Christum sequendo audivisset. Indignabatur ad tantum tamque rigorosum postulatam, & quòd Christus non detulerit illi rigidæ mandatorum divinorum observantiæ, non sine murmure. Et musitare aliquid videbatur Petrus non omnino extra & citra suffragium discipulorum, quod hactenus non attento eo, quòd omnia reliquerint & Christum secuti fuerint, in suspensio tamen relictæ fuerint, nec apparuerit, unde iacturam suam compensent. Christus occurrit huic murmurationi Apostolis & *premium* immensæ liberalitatis, & *periculum* ostendendo. *Premium* quidem, ostensione summi splendoris, quo tandem essent coruscaturi, c. XIX, 28. & beatitudinis centuplum reddituræ, vers. 29. *Periculum* verò, cum illis indicat, fieri posse, ut qui putant, se vel plus laborasse & tolerasse, vel multum etiam reliquisse, & hinc sibi aliquam prærogativam in retributione patrisfamilias imaginantur, perdere possint omnem apud patrem familias gratiã. Illud postea in parabola representat; & *premium* quidem ex donatione denarii, qui per duodecim horas laborantibus satisfaciebat, ad unius horæ operationem facta; *periculum* verò ex imaginationibus grandium meritorum, quibus gloria liberalitatis DEI circumscribitur. Gabr. Vasquez in part. I. Thom. Tom. II. disp. XLVII. cap. III. pag. 268. addit hanc rationem: *quatenus murmuratio, quatenus mala & injusta, quæ in operariis vineæ contigit, in aternæ beatitudinis distributione non sit futura, nec ea ratione parabola debeat applicari, ea tamen manifestè indicat, in DEI iudicio futuram aliquid, quòd præter omnium spem accidit. Eò enim tota parabola spectare*  
vide-

videtur, ut aliquis de dono DE I plus accipiat, quam ei jure debebatur, quod licet non sit causa futura murmurationis in beatis erit tamen admirationis, cui optima ratione satisfiet, sicut paterfamilias operariis satis fecit. Hoc autem verum non esset, si novissimi revera plus laborassent, quamvis propter temporis brevitate minus laborasse viderentur. Quid enim mirum est, si ille, qui brevi tempore plus laboravit, plus etiam accipiat praemii? Quod si admiratio solum ex ignoratione esset profecta, quod novissimi existimarentur minus in hac vita laborasse, ei, qui primus laborare cepit, paterfamilias non respondisset, nonne ex denario convenisti mecum? tolle, quod tuum est & vade. Volo autem & huic dare, sicut tibi; annon licet tibi, quod volo, facere? Sed ostenderet, novissimos tarditate temporis sollicitudine & labore superasse, Ergo cum primos convincat, quod velit novissimos ipsis gratis exequare, sequitur, non attendisse ad magnitudinem laboris & meriti: ac proinde novissimos non aequale laborasse, ac primos, ut aequalem cum ipsis acciperent mercedem. Sed non opus est, ut pro murmuratione admirationem concipiamus, cum Christus ipsissimam murmurationem, sive formaliter, sive interpretative factam, perstrictam cupiat & a suis cultoribus alienam. Altera ratio est fortior, quam Nazianzeno Vasquez opponit; quod scilicet interpretatione ejus accepta sententia illa, quam Dominus ex parabola velut conclusionem colligit: sic erunt novissimi primi, h. e. electi, & primi novissimi, h. e. reprobi, non posset cum ipsa parabola cohaerere. Si enim quo novissimi videbantur, hoc ipso, quo primi facti sunt, aequiparati sunt etiam primis in laboris aestimatione, jam omnes primi, nemo novissimus, omnes electi, nemo vocatus tantum, & non electus futurus est. Augustini interpretatio etiam a scopo Christi abit. Vult enim Salvator, uti dictum, gratiae suae summam libertatem venerandam proponere, in eo exhibitam, quod denarium aequaliter omnibus in vinea laborantibus adjudicaverit. Jam quae haec est liberalitas & libertas in dispensanda divina gratia, cum primos & novissimos in uno quidem pares facit, in aliis autem omnibus primos propter meritorum (uti imprudenter loquitur cum Hieronymo, nisi meriti vocabulum improprie sumatur, de quo annot. XLVII. ad Relat. Anonymi de corpore S. Marci egi) multitudinem & diuturnitatem tolerati aestus & oneris diurni, multis gradibus gloriae superiores & excellentiores faciat? Nihil enim primis hac ratione decederet ad excellentissimam quendam distantiam. Adde, quod ista

ratione primi non fierent novissimi. Manerent enim in vita æterna, ut novissimi. Imò ob præstantiam & thesaurum meritorum, quò superant novissimos, in primatu suo maximoperè confirmarentur. Sed & novissimi non fierent primi, si commune esset primo & novissimo, vitam æternam in questione an sit possidere. Denique si collatio denarii est collatio ipsius essentia beatificæ visionis, eoque modo in ea locum habet *murmuratio*? Urget hanc rationem cum primis Vasquez loc. cit. n. 15. Namque in æternæ vitæ remuneratione, inquit, nulla futura est *murmuratio*. Et quamvis opus non sit omnia, quæ in parabolis afferuntur, spiritualiter applicare, illud tamen, quò præcipue parabola spectat, sine applicatione relinquere non debet; id autem videtur esse, quòd in æterna retributione ii, qui minus laborarunt, æqualem cum aliis mercedem acceperunt, ut fiant novissimi æquales primis, quòd sanè insolitum videtur. Quare licet in æterno DEI iudicio non sit futura bonorum *murmuratio* contra præmium distributionem, Christus tamen in ea parabola aliquid insolitum, & quòd præter spem accidit, videtur nobis significasse. Nihil autem insolitum & præter spem accideret, si in ipsa visione, qua futuri sumus beati, juxta debitam meritorum proportionem, disparitas esset servanda, etiam si ejusdem omninò essentia divina futura esset. Incidit in hanc difficultatem Paulus de Palatio Granatensis. Comm. h. l. pag. 615. & ait: Sunt egregia hoc loco dubia: primum, quomodo sancti in cælo putabunt, se plura accepturos? Secundò, quomodo murmurabunt contra patrem familias, quem intimè diligunt? Tertio, quomodo oculus beati esse nequam potest? Quarto, quomodo omnes homines in denario pares sunt, cum alii sint electi, alii non electi? Ad primum. Recolendum est ex Daniele, inter Angelos fuisse pugnam. Angelus enim Judæorum cupiebat eos à Babylone exire, sed Angelus Persarum cupiebat Judæos pro Persarum utilitate manere. Restitit ergò Angelus Angelo, uterque intelligens, se bene facere; ita & sancti vetusti resistunt Christianis, quasi putantes, se plura præmia quàm nos accepturos, ut qui laboraverint per ætates quas habebant, longissimas. Vivebant enim serè per annos mille, cum nos vix vivamus septuaginta. Rursum illi carebant sacramentis conferentibus gratiam, & juvenibus contra laborem, nos contra sacramentis rescimur. Item minori illi ornabantur gratiâ, minoribusq; Spiritus S. viribus, quàm nostri. Demùm minori illi, quàm nostri stimulabantur virtutum exemplo. Rectè ergò videbantur, se plura accepturos.

Quod

Quod si non placet hanc persuasionem in sanctis ponere, dicito: ita illos putasse, non quia sic putaverint, sed quia sic justum erat putare, nisi altiori divinitatis lumine collustrarentur. Huic verò sanctorum verbum respondet Dominus: Amice, non facio tibi injuriam; judicii tempus est, non injuria. Quid quereris, si speciali honore Christianos afficio? què me specialiter coluerunt, pro me specialiter sanguinem fuderunt. Tolle, quod tuum est. O verbum omni miraculo majus! O sancte, quidnam tuum est? Augustinus dicit; fecit DEUS hominem, ut amando summum bonum possideret. Est ergò DEUS possessio hominis, ut Esaias dicit: Filius datus est nobis. Verbum ergò DEI nostrum est. Christus dicit; Si in alieno, id est, terrenis fideles non fuistis, quod vestrum est, id est, DEUM quis dabit vobis? Igitur DEUS est possessio nostra. Tolle igitur, quod tuum non est. An tibi sat DEUS est? Gauderes, si tuus esset orbis, gaude, quò tuus sit autor orbis. Gauderes dives, & non gaudes divinus & velut quidam Deus; hoc enim differt: DEUS enim mutari nequit; tu verò Deus mutabilis es. Ideò dicitur; Tolle quod tuum est, & vade: Deus quidem es, sed qui ire potest. Addit; Annon licet mihi, quod volo facere. Totum orbis damnatum est, quod putat sibi licere, quod libet. Solius DEI est, licere quod vult. Eo enim quod vult, licet. Nostrum est, ut solum liceat, quod DEUS vult. Cælum est, facere, quæ DEUS vult: infernus, facere, quæ non vult. Respondum est ad primum & secundum dubium. Ad tertium attende; non dicit DEUS assertivè; Oculus tuus nequam est, sed interrogativè, num tu vis malus esse, quia ego bonus sum? Sicut illud: Num oculi carni tibi sunt, & sicut videt homo, & tu vides? Job. X, 4. & illud Psal. XCIII, 2. nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis. In his enim subintelligitur, absit. Ad quartum scito Philosophos & Sapientes essentialia respicere, de accidentariis non adeò curare. Cùm ergò in essentiali beatitudine pares sint sancti, ideò pares dicti sunt, licet in accidentariis differant. Pares illos fecit denarius ille, torrens ille voluptatis, fons vitæ, pelagus dulcedinis, amor intimus quò unum est illis cor & anima una. Sed reverà Granatenlis ad egregia dubia egregiè non respondet. Nam ad primum quod adfert dissentium Angelorum, fallum id esse, & in Septenario Angelico ostendimus Dissert. I. & Semestr. Rostoch. Programm. num. 2. pag. 124. contra Lojolitam Cornæum. Et si omninò dissensus esset inter Angelos circa migrationem populorum ex justo Dei judicio dispensatam; unde sequi-

sequitur, quòd in ipsa beatitudinis dispensatione dissensus esse queat inter sanctos? Haussisse videtur suum hunc errorem ex Hieronymo, qui ad Damasum Epist. CXLVI. circa finem, edit. Plantin. pag. 411. a. similia de Angelis pronunciat, Nititur adhuc responsio facta hypothese, quasi per illos, quibus murmuratio attribuitur, sancti ante adventum CHRISTI intelligerentur. Falsum & illud erat, quod sancti hi putare poterint, imò quod justum fuerat sic illos putare, nisi superiori lumine collustrarentur. Nullum enim iustitiæ prætextum habuissent, etiam juxta lumen naturale, si judicassent. Cæterum pugnant, quæ ad explicationem vers. 13. & 14. adfert, cum illis quæ de sanctis beatis dixit. Nam explicatio facta est de viatoribus, & adhuc in militanti Ecclesia stantibus. Et murmur ipsum ad beatos & triumphantes refertur. Denique dicit Granatenfis, responsum esse ad primum & secundum. *De murmuratione* verò, quòd secundum erat, nihil attulit, nisi putet. præter pugnam contra Angelum Judæorum, etiam *murmur* in Angelo Persarum esse potuisse, quòd ex Persarum potestate Judæi fuerint educti. Ad tertium ineptè confert *interrogationem exprobratariam*, quæ contra murmurantes & præsumentes, quòd plus essent accepturi, cum *interrogationibus fiducialibus* aut profectis ab iis, qui in lucta divina sunt positi, quales sunt Joh. X. & Psal. XCIII. Ad quartum nihil etiam respondet. Dicendum erat, cur, si in denario vitæ æternæ accipiendo omnes pares sint, alii sint electi, alii non? Sed ille dicit aliquid de eo, quomodo sapientes accidentaria & essentialia æstiment. Edifferere debuisset, ane *electum esse* ad essentialia beatitudinis, an verò ad accidentalialia pertineat? Hoc dicere non potuisset, cum omnes beati sint electi, Rom. VIII, 30. Si *illud* dixisset, non omnes essentialia beatitudinis accepisse, dicere debuisset, quia non omnes electi sunt. Dionys. Carthusianus, quem *Doctorem exacticum* vocant, Sermon. de tempore part. I. pag. 87. difficultatem expediturus ait: *Murmuratio illa non erit rancoris, impatientia, aut perturbationis, sed vehemens quadam replicatio propria cause, seu admirationis eruptio procedens ex zelo iustitiæ, per modum murmurationis se habens. Dicuntur namque murmurasse, vel quia dilationem gloria dolentes sustinuerunt, vel quia de magnitudine liberalitatis divinæ tantum mercedis dantis novissimis, sicut eis, vehementer mirantur. Nihilominus unusquisque beatorum de sua gloria plenariè contentatur. Non ergò inducit hoc CHRISTUS, ut doceat aliquos beatorum invidia tactos, sed ut ostendat, novissimos tanto honore potius, quòd invidiam aliis poterat generare, videl.*  
secum.

secundum sensum humanum, sed charitatis perfectio omnem à beatis ex-  
cludit invidiam. Estimatio autem illa non est assertio, neque erroris,  
sed cujusdam simplicis nescientia, quam S. B. Dionysius in S. Angelis po-  
nit, à qua à superioribus inferiores purgantur à quibus de aliquibus oc-  
cultis DEI effectibus atq; mysteriis illuminantur. Sancti autem in pa-  
tria non præcognoscunt determinatè, quantum beatitudinis quilibet ele-  
ctorum finaliter obtinebit, nisi speciali ex causa seu gratia eis desuper reve-  
letur, &c. Sequitur Dionysium Johann. Maria Verratus Carmelita Tom.  
IV. Opusc. f. 30. p. b. Philipp. Die Z. Lusitanus Minorita Quadragesimæ  
part. IV. pag. 8. Guid. Perpinianus in Concord. Evangel. pag. 608. col. 2.  
Atqui verò γογγυσμός nullo modo in bonam partem explicari potest,  
nec in sacris literis ed trahi potest. Semper enim in vitio ponitur. Conf.  
Luc. V, 30 Joh. VI, 41. 43. 61. Act. VI, 1. 1. Cor. X, 10. Phil. II, 14. 1. Petra  
IV, 9 Judæ vers. 16. Et γογγυσμός Matth. XX, 11. est omninò vitiosus;  
quia injustitiæ accusat patrem familias: quia potestatem Deo competen-  
tem in dubium vocat: quia ἀβλεψίας & ἀνεπιστίας crimen DEO beni-  
gnissimo irrogat. tanquã laborum non ponderaret circumstantias: quia  
denique in murmurationibus ὀφθαλμὸς πονερός notatur, & hoc modo  
discipuli ad vitandum lapsum excitantur. Itaque ejusmodi replicatio  
vehemens cause propriæ seu admirationis eruptio ex zelo justitiæ proce-  
dens sanctis beatitudine donatis nullo modo tribui potest, qui in primo  
momento beatificationis toti resolvuntur in perfectissimam suæ volun-  
tatis cum divina conformitatem. Conf. Apoc. IV, 10. Estimatioq; illa, de  
qua Matthæus vers. 10. & 12. loquitur, omninò est assertiva & erronea,  
ut ex verbis patris familias liquet. Hactenus igitur argumentum ex mur-  
muratione nondum solutum est. Aggreditur autem illud Roderic. ab  
Arriaga Tom. I. disp. in Thomam disp. XII. sect. I. pag. 141. ubi existi-  
mat, illud tanti non esse momenti, ut propter illud tantorum Patrum  
& Doctorum explicatio debeat rejici. Deinde addit: Facile (1) murmu-  
ratio potest exponi, ut aliqui falsò putaverint, solam longitudinem tempo-  
ris, quo deserviunt, esse in ea vita premiandam, sicut de factò solemus  
dicere, ne religiosus, qui in religione diu vixit, idèd putet, se magnum ha-  
biturum premium. aut preferendum illis, qui vel novitii mortui sunt,  
vel tardè ad religionem venère. Hæc ergò apprehensio, quæ debet ali-  
quando multis tolli, meritò potuit per eam parabolam tolli, nec necesse est,  
inducere eos operarios jam in beatitudine ipsa cum perfecta notitia, quæ

non videtur admittere talem falsam opinionem: nam hoc non ad substantiam parabolæ, sed ad circumstantiam pertinet. (2) Posset responderi eam murmurationem esse Judæorum, qui putarunt, non alios vocandos ad Deum, quam se, qui ab initio erant vocati. Ita enim in Act. Apost. inducuntur murmurasse. (3) Potest dici, intentum parabolæ nequaquam fuisse, vel inæqualitatem, vel murmurationem inducere, sed ostendere, Deo nullam esse infirmam ætatem, sed quocumque tempore posse ad DEUM homines converti. Sed Arriaga fluctuat, nempe ubi subsistere velit, indicat. Non enim ad (1) CHRISTUS opinionem, sed opinionis opus, scilicet murmurationem castigat. Neque murmurationem ante distributionem factam, sed post eam emergentem reprehendit. Si ergo per dationem denarii collatio vitæ æternæ intelligitur, tunc post eam jam factam emergere posset, quod fieri non posse monstratum est. Ad (2) murmuratio est denario donatorum, ut liquet; si est Judæorum, & illi denario donati sunt. At illi vita æterna donati non sunt. Denarius igitur hætenus non est vita æterna. Ad (3) in eo ipso inæqualitas est respectu recipientium, quod, qui diu laborarunt, æquantur brevi occupatis. Et omnino parabolæ scopus est, non murmurationem inducere, sed ostendere, quid ex murmuratione eveniat, sive inæqualitate humano judicio arbitremur. Postquam nihil solidi contra hoc argumentum attulit Arriaga, etiam illud attingit, quod ex vers. 16. depromitur. Est autem tale: Postquam dispensationem, qui primi fuerunt, novissimi sunt, idque justo Dei judicio, illa non est dispensatio æternæ beatitudinis. Ratio propositionis hujus supra indicata est, quia qui ex primis facti novissimi sunt reprobati, non electi, uti vult connexio in vers. 16. & nexus cum parabolæ antecedentibus. Adde, quod Luc. XIII, 30. ubi eadem sententia Matth. XIX, 30. reperitur, *οἱ ἐπιβαλλόμενοι ἐξ ὧν* sunt novissimi. At qui post dispensationem denarii, qui primi fuerunt, novissimi justo DEI judicio fiunt. Et dispensatio denarii non est dispensatio æternæ beatitudinis. Respondet Arriaga cum Joh. Suarez Episcopo; verba, & primi erunt novissimi, &c. non ad eum qui denario potitus est, sed ad Judæos collimare, qui primi fuerunt in vera doctrina, & ultimi futuri sunt in regno. Sed nihil ad rhombum. In eo enim, qui ex primis erumpit, & à CHRISTO severa exprobratione dimittitur, CHRISTUS imaginem sinit eorum, qui ex primis in novissimum prolapsi sunt. Addit Arriaga: Adhuc ego explicarem de Judæis & Christianis, ut, licet fortè pauciori tempore

pore laboraverint Christiani, quam Judæi, imò licet habuerint minora  
 opera aut æqualia, habeant tamen præmium majus propter gratiam ac-  
 ceptam in sacramentis ex opere operato, in quo singularem suam gratiam  
 Deus ostendit erga Christianos. In qua explicatione omnia pulchrè coha-  
 rent. Nam attentis operibus non plus dedit Christiano pro suo labore,  
 quam Judæo; unde non fecit huic ullam injuriam: at quòd ex se propter  
 sacramenta & in gratiam CHRISTI plus nobis dederit, non est injuria Ju-  
 daeorum, sed liberalitæis erga nos. Intelligitur præterea fundamentum mur-  
 murationis: sola enim opera Judæi considerarunt, non liberalitatem pa-  
 trisfamilias, &c. Sed non attingit Arriaga argumentum. Ut tacea-  
 mus, quòd falsa assumat, quæ hic discutere non vacat. Sed pergit Arri-  
 ga Vasquezium rationibus ex parabola variis onerare. (α) Quia opera-  
 rii omnes manserunt usque ad finem diei, nec defecerunt in labore, quòd  
 reprobis non convenit. (β) Quia ipse Dominus æquales eos facit; re-  
 probus autem salvando ævari non possit. (γ) Quia primi non murmu-  
 rant, quòd sint reprobati, sed quòd aliis tantumdem sit datum. (δ) Quia  
 verba illa, tolle quod tuum est, &c. nequaquam possunt ad rejectionem ac-  
 commodari. (ε) Quia Vasquez male explicat, cum dicitur, volo huic  
 novissimo dare, sicut & tibi, ac si diceretur, volo huic salvare, te verò  
 permittere damnari. (ζ) Quia quòd de novissimis dicitur, ad summum  
 probat, eos primis prælatos. Nos non tenemur rationes omnes contra  
 Vasquez allatas solvere, cum in omnibus hunc non simus amplexi.  
 Dicimus tamen ad (α), operarios perseverantes fuisse in vinea, sed non  
 in patrisfamilias observantia; Ad (β), ad Christum novissimis primos  
 æquales fecisse in oblato ante murmurationem, sed non in statu post  
 murmurationem. Ad (γ), primi non murmurarunt, quòd sint reprobati,  
 sed reprobantur, quia murmurarunt. Ad (δ), ὕπαγε profectò non ad  
 gratiam, nec ad vitam æternam remittit. Simon Cassianus ex antiquis  
 de gestis Salvat. Lib. VI. cap. XXI. pap. 544. Tolle, quòd tuum est, ex la-  
 boribus tuis partem, & vade; Quo? in perditionem, quia omne, quòd  
 nostrum est, de jure damnationis est, cum nihil ex nobis præterquam id  
 quòd damnationem habet annexam. Ad (ε), vult omninò CHRISTUS  
 ultima & judiciaria datione novissimis plus dare, quam primis, quia, de-  
 positis his ad novissimum, illis primatum confert. Ad (ζ), prælatio il-  
 la est exclusiva ab electione. Manent ergò rationes inconcussæ, quibus



evictum est, dationem denarii non esse donationem vitæ aternæ, & consequenter æqualitatem graduum gloriæ hinc non probari.

§. 8. SCOPUS parabola VIII. multo minus est, *vitam aternam meritis operum dandam esse*, asserere. Contra Bellarminum, Bartschium, Grodeccium, Bzovium, Pitseum, Verratum, Cottonum, & alios istud sufficienter deduxit D. Gerhard. Tom. IV. de bonis operib. §. 114. & post illum à Calvinianis Dan. Chamier. Lib. XIV. cap. VI. & XVII. Panstrat. Cath. Tom. III. Nos breviter percurramus Joh. Maldonatum, (de quo Isaac Casaubon. Exercit. ad Annal. Baron. pag. 393. ait: quod fuerit *Vir acris ingenii & magni, si affectibus, si lingua, si odio veritatis potuisset moderari.*) qui in Comm. h. l. hunc scopum operose probare conatur: *Tantum abest, ut docere CHRISTUS voluerit, equalem omnium beatorum futuram gloriam, ut contrarium omnino probare voluerit, non omnium gloriam equalem futuram esse, quia non gratis, sed meritis datur; quod autem datur meritis, non æqualiter omnibus, sed aliis plus, aliis minus pro cuiusq; meritis datur.* Et rursus: *Finitis ergo parabola est, mercedem vitæ aternæ non tempori, quo quis laboravit, sed labori & operi, quod fecit, respondere.* Rationibus nititur his: (1) *Quia propositio cap. XIX. 30. primi erunt novissimi, &c. ex meritis fluxit.* Nam CHRISTUS dixit *adolescenti*; si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, &c. *hoc meritum est*: & habebis thesaurum in cælo: *hoc premium est.* Dixit & Petrus: *ecce nos reliquimus &c. premium utique pro meritis postulat.* Respondit CHRISTUS: *Amen dico vobis, quod vos, &c. premium utique promittit.* Adjungit *vers. 29. quicumque reliquerit domum, &c. hoc meritum est*; centuplum accipiet, &c. & *hoc premium.* Adjecit *continenter*; multi erunt primi novissimi, & novissimi primi. *Significat ergo propterea multos primos novissimos futuros esse, quia quamvis primi venerint ad vineam, minus tamen laboraverunt, ideoq; minorem mercedem meruerunt.* (2) *Quia initium parabola loquitur de conductione operariorum.* Operarius autem est, qui propter mercedem quam labore suo meretur, laborat. Et verbum *conducere*, *justitiæ, meriti & mercedis est.* Et *vers. 2. loquitur de conventionione facta cum operariis ex denario.* Conventionem ex denario facere, *justitiæ utique est, non solum gratiæ.* (3) *Quia vers. 4. fit mentio dinalis.* (4) *Quia vers. 13. paterfamilias ad justitiæ actionis juxta contræctum provocat.* His ita præfatis ad  
obje-

objectiones respondet: (1) est: *cur idem omnibus denarius datus est?* Respondet: *CHRISTUS* probare volebat, plus aliquem breviori tempore, quam alium longiore, laborare. (2) est: *Cur ergo non plus denario dedit eis, qui undecima hora venerunt, si quidem primi futuri erant, cum fuerint novissimi?* Respondet: eos in eo fuisse ceteris prelatos, quod, cum novissimi venissent, primi omnium denarium acceperunt. Eundem igitur accepisse denarium, quia tantum una hora, quantum ceteri tota die laboraverant: primos autem accepisse, quia hoc ipsum egregie fuit laudis, qua primum locum inter eos, quibus merces solvebatur, meruerunt, quod tantum una hora, quantum alii multis laborassent. Nam aequale opus, aequalem mercedem, major diligentia & brevius tempus primum locum meruit. (3) est: *vers. 14. & 15. videri significari, denarium non ex merito & iusticia, sed ex sola patrisfamilias voluntate datum esse.* Resp. non eam fuisse causam, cur paterfamilias ita responderit, sed quia voluit persone decorum servare. Non convenisse vero persone patrisfamilias, ut vili operario declararet, cur tantum novissimis, quantum primis daret; sed tantum tanquam Dominum dicere; sic volo, sic jubeo. Et prudentem patremfamilias noluisse conquerentem operarium suffundere pudore, quod utique fecisset, si rationem illi exposuisset, cur tantum novissimis, quantum primis, daret, quia tantum nimirum, quantum illi, laborassent. Sic enim eorum, qui primi venerant, negligentiam subnotasset. Antequam ad Maldonati rationes respondeamus, videbimus prius, quas ille partes parabola substantiales, & ad scopum CHRISTI necessarias putet. Dicit ergo (a) necessarium patremfamilias, qui vel DEUS Pater, vel CHRISTUS sit, velut sapientia & olim Prophetarum & post Apostolorum constitutrix, Luc. XI, 49. (b) Diem, cujus mane cum ceteris horis conductioni operariorum & cura vineae impensam, vespera solutioni mercedis. Eum Irenaeo, Origeni, Hilario, Optato Milevitano, Johanni Hierosolym. Gregorio M. Bedae, &c. esse totum tempus a condito mundo usque ad finem ejus. Athanasio, tempus ab Adventu CHRISTI primo, usque ad secundum. Hieronymo, Chrysostomo, &c. uniuscujusque hominis aetatem: (c) Vineam, quam Irenaeus, Chrysostomus, Joh. Hierosolymitanus, Euthimius, &c. iustitiam & mandata DEI excolenda dicit. Athanasius totum mundum, Theophylactus, animam. Origenes & Gregorius, Ecclesiam. (d) Horas, primam, tertiam, sextam, nonam & undecimam: quas qui per diem mundi aeta-

tem universam constituunt, ita dividunt, ut horam I. faciant ab Adamo ad Noë III. à Noë ad Abram. VI. ab Abraham ad Mosen. IX. à Mose ad Christum. XI. à Christo usque ad finem mundi: qui verò horas diversas cujusvis hominis ætatis constituunt, dicunt, primam horam esse infantiam, tertiam pubertatem, sextam ætatem virilem, nonam ætatem in senectutem declinatam, undecimam, decrepitam. (e) *Forum*, quod est mundus, in quem per nativitatem homines intrant. (f) *Denarius*, quem excepto Basilio in regulis brev. interrogatione CCLV. OMNES AUTORES salutem & vitam eternam interpretentur. (g) *Vesperam diem*, quam finem mundi & iudicium intelligit, aut cujusque hominis novissimum. (h) *Modum in solutione*, quæ incipitur ab ultimis, & ad primos proceditur, quo significatam censet prælationem ultimorum, qui tantum una hora, quantum cæteri toto die, laboraverunt Ad emblemata autem refert, quod quinqve hora exitus patris familias nominentur, quod otiosi in foro inventi dicantur, qui conducti non fuerint, quod paterfamilias procuratorem habeat; quod denarius potius, quam aliud genus pecunie ponitur, quod quidam murmuraverunt, quæ si quis ad aliquid significandum volet subtiliter trahere, non solum operam perdet, sed in periculum etiam incurret multa aut falsa, aut ridicula, aut cerè aliena comminiscendi. Quisquis enim, quod non est, querit, aliquando sibi fingit, quod illud, quod querit, esse videatur, & mavult falsum incurrere, quam nihil. Frenandum autem humanum ingenium est, ne sua subtilitate intemperanter & in rebus supervacaneis abutatur. Ita se ex parabola expedivisse & causam suam obtinuisse, putat Maldonatus. Sed ut ista explicetur, dicamus, quæ dilucidando toto negotio conducunt. Dicamus, primo de partibus ad parabolam necessariis, vel non necessariis. Et quidem partim Maldonatus malè inter non necessarias collocat, quod quidam murmuraverint. Hoc enim in primis ad scopum parabolæ à Christo assumptum fuisse, non semel supra ostendimus: partim inter necessarias collocat, quæ non sunt necessaria. Non necessaria parabola pars dies videtur, si vel ad ætates mundi in universum, vel ad ætates hominis referatur. Si autem per diem quodcumque tempus, in quo & paterfamilias ecclesiæ aliquid admittit, & de commisso postea sive compensando, sive manerando suam declarat sententiam, intelligitur in hac parabola, ut pars necessaria retineri potest. Neque præcisè necessaria parabola pars est vinea; quasi hic in collatione vineæ cum Ecclesia ut ali-

bi Je-

bi Jefaia V. Matth. XXI, 33. &c. mysterium peculiare Christus nobis exhibere voluerit. Nam hoc ad illustranda, quæ voluit ex cap. XIX. illustrare Christus, singulariter huc non pertinet. Unde, quod Maldonatus silentio præterit, nec *contractus conductionis* ita necessarius est in parabola, ut in *ἐκθέσει* ejusdem necessario aliquis contractus justitiæ spiritualis eruendus sit, in quo meriti mercedisque propriè sic dictæ aliqua inveniatur ratio. Ille certè nec ex antecedentibus parabola, nec ex consequentibus necessario fuit. Sufficit, si sit aliquid, circa quod DEUS tales vel tales nos esse non vult, quales sese exhibuerunt, qui primis temporibus in vineam conducti fuerunt. Sufficit, quòd cum aliqua spe circa illud Deus illos occupatos voluit. Aliàs si rigidè contractum urgere vellemus, in falsum illud incideremus, quia, quos paterfamilias in vineam conduxit, illis nullam specialem operandi in vinea gratiam impertit, sed eorum tota operandi vis non alia fuit, nisi ea, quam ante conductionem habuerunt, ita & qui à Deo vocantur, ex viribus operarentur naturalibus, quod vehementer Pelagio arrideret, & Fausto Socino, qui non requirit ad operationem spiritualem hominis, nisi ut objectum ipsi manifestetur. Sufficit, ex parte Dei rursus aliqua ejus actio, in qua fundari potest eadem æquivalitatis proportio, quæ in rigoroso illo contractu conductionis proponitur, De *horis* ad scopum parabola non est etiam necessarium subtiliter esse curiosum. Nihil enim aliud ad eum in *ἐκθέσει*, facit, quàm quòd Deus diversis & inæqualibus temporibus, prout visum est sapientiæ suæ, hac vel illa communicatione, & hoc vel illo gradu, se hominibus ex abyfso bonitatis suæ immensæ patefaciat. Forum eatenus ad parabola scopum accommodari potest, quatenus ubi & status hominum, in quo divinis gratiis afficiuntur, innuit, De *denario* falsum dicere Maldonatum, mox dicendum. Præcisè notatur id, cujus vel exhibitione actuali, vel oblatione in promissionibus propositis produuntur & eliciuntur per accidens hominum proborum, aut operum fastutumentium judicia propudiosa & divinæ gratiæ intolerabilia. Id enim ad denarii vespertini exhibitionem in operariis vineæ contigit. Dum erant in vinea, & in eam diversis horis alii post alios ingrediuntur, omnia tranquilla sunt. Denarius vesperi præposterè distributus referat animos, & tumultum excitat. Sic & VESPERA non aliter ad parabola scopum facit, quàm ut notet tempus, quo Deo placet ista sua ἀπεργασχῆτω dispensatione uti. Et MODUS in solutione libertatis divinæ indicandæ

candæ causa exhibetur. Sensus ergò & scopus parabola ita se habet: Sicut paterfamilias agerrimè laturus esset, si non obstante eo, quòd diversis vicibus operarios in vineam vocavit, & aliquos diu satis in eadem laborare permisit propter conductiõnis precium, aliquos autem & quidem serò vocatos in vinea exiguo tempore esse voluit, attamen cum ad vespertinam solutionem pervenerunt, his primo loco, cum postremi essent, integrum denarium ex peculiari liberalitate solveret, ceteros omnes pariter denario expediret, & hi patremfamilias murmurando laceessere, iniquitatis accusare, & ad reddendam quasi rationem suæ dispensationis adigere vellent, nec tantum agerrimè laturus esset, sed etiam ejusmodi exprobratores cum gravi exprobratione à se dimissurus, nec amplius ad stipendium merendum admissurus: ita pater noster cælestis jure meritoq; indignatur & ferre nequit, si quis quocunque sive laborum, sive peccatorum, sive aliarum considerationum intuitu suggillare aut succensere ipsi vellet, quòd illis non attentis ex immensa liberalitate aliquos incomparabilibus gratiis obruit, cum ceteris quibusvis non denegat sua; imò eorundem exardescit indignatione, ut ejusmodi suggillatores & censores à se rejiciat, & novissimorum h. e. abjectissimorum loco habeat. Et hoc modo Scholarcha repellitur, qui denarium adjudicationis vitæ aternæ penitus apud se ob *νομοδουλειαν* conceperat. Hoc modo dum ingentem gloriam accipiunt discipuli Christi, commonefunt, ne nimium reculas suas, quas reliquerunt, æstiment, & ut setotos patrisfamilias committant liberrimæ liberalitati. Sic eventurum, ut eum *novissimi* revera essent conditione, *primi & electi* in regno cælorum evaderent; ex adverso DEUM pro murmuratione interpretaturum esse, si ullo modo mensuram donanti ei præscriperint. Jam paucis ad rationes Maldonati. Ad (1) quomodo conclusio cap. XIX, 30. ex præmissis fluxerit, jam satis indicatum. Falsum est, novissimos primos fieri, quia plus laborarunt, quam primi. Neque hoc vel ex cap. XIX. vel ex parabola cap. XX. elicitur. Ad (2) quid de contractu conductiõnis habendum, dictum est. Ad (3) *δικαιον* ad *πρωτάσιον* pertinet, nec trahendum in *ἐκδοσιον*, nisi quatenus DEUS in nulla sua dispensatione unquam exercet injustitiam. Nec *δικαιον* semper ad justitiam distributivam pertinet. conf. Phil. I. 7. Ad (4) provocatio ad contractum ad *πρωτάσιον* parabolice emblemata pertinet, adeoque suis ex textu rationationibus Maldonatus nil proficit.

Jam

Jam videndum, quod falsum dicat Maldonatus, cum dicit; denarium OMNES AUTORES salutem & vitam æternam interpretari. Certè Irenæus antiquissimus Autor Lib. IV. adversus Hæres. cap. LXX. citante Sebastiano Barrada Concord. Evang. Tom. III. c. XVII. n. 10. pag. 252. non ita sentit. *Per parabolam*, inquit, *operariorum unus idemq; Dominus ostenditur, vocans alios quidem statim initio fabricationis mundi, alios verò post hoc, & alios post medietatem temporum, & alios progressis jam temporibus, item alios in fine; ut sint quidem multi operarii secundum sua ipsorum tempora, unus autem est, qui vocat eos, pater familias. A novissimis cepit dare mercedem, quoniam in novissimis temporibus manifestatus est Dominus, & omnibus semetipsum representavit.* Itaque per denarium intelligit donationem & manifestationem Messiae. Cyprianus Epist. ad Magnum de baptizandis Novatianis, quæ est LXXVI. cap. VII. pag. 211. edit. Pamel. versatur in quæstione, *quid de illis sentiendum, qui in infirmitate & langvore gratiam DEI consequuntur; an habendi sint legitimi Christiani eò quòd aqua salutari nota loti sunt, sed perfusi? & respondet, quòd eodem planè cum reliquis Christianis censu sint habendi.* Inter cæteras rationes etiam hæc pro isto responso utitur; *Cum singuli ad denarium vocentur, quid est, ut, quod à DEO æqualiter distribuitur, humana interpretatione minuatur? Ubi per denarium æqualiter distributum intelligit gratiam baptismi, quod ex antecedentibus patet, cum ait: Christi indulgentia & cælestis gratia æqualiter omnibus dividitur, sine sexûs varietate, sine annorum discrimine, sine acceptione personæ super omnem DEI populum.* Nicol. Lyranus h. l. per mercedem vespèri distributam intelligit gratiam. Ita enim ad vers. 8. *Ita merces benè intelligitur gratia, quæ est quedam inchoatio gloriæ, cum gloria non sit aliud, quàm gratia consummata: & ad vers. 9. acceperunt singulos denarios seu donum gratia, quæ est quedam inchoatio & arrha gloriæ: & ad vers. 10. Acceperunt & ipsi singulos denarios, id est, consummabilem gratiam, sicut & gentiles, & non majorem, ut Act. X. dicitur, quòd predicante Petro cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum: & ad v. 13. Injuria non habet locum, ubi est mera gratia, & idè si det gratiam cuiuscunq; voluerit, non faciet alicui injuriam.* Guido Perpinian. l. c. refert quidem denarium ad vitam æternam, sed præcisa murmuratione; tradit tamen, quod idem & sumi possit pro præsentis justitiæ, cum quis benè operando recipit in hac vita aliqua dona sive


E

spirit-

spiritualia, puta gratiam, vel augmentum gratiæ, siue temporalia. Et notanter scribit: quod premium potius redditur ex DEI acceptione & gratia, quàm ex nostrorum operum dignitate. Simon de Cassia Guidonis circa Annum Christi M. CCC. XL. cœtaneus l. c. consentit. Ludov. Granatensis loc. cit. pag. 574. cùm de summa parabolæ agit, vitæ æternæ non meminit. Totus, inquit, parabola scopus est divina gratiæ largitatem commendare, quæ dona sua non modò juxta merita, sed etiam supra merita, atq; aded supra operantium vota rependit, non ut avarus exactor, sed ut liberalissimus honorum largitor; non ut pauper ac tenuis homo, sed ut opulentissimus & magnificentissimus DEUS, non ad mensuram justitiæ, sed ad plenitudinem infinitæ suæ gratiæ & misericordiæ, &c. Corn. Jansenius Gandaviensis Concord. Evang. cap. CI. pag. 614. admittit quidem explicationem denarii de vita æterna: cùm tamen de genuina & intentioni Christi accommodâ parabolæ hujus tractatione agit, non censet inquirendum, quid per denarium mysticè significetur, cùm non ad hoc tendat parabola, ut intelligamus, eos, qui per novissimos significati sunt, eandem accepturos mercedem cum his, qui per primos significantur, sed tantùm ut intelligamus, novissimos futuros in novissimo die primos, & DEI id benignitate & placito eventurum sine cujusquam injuria. Non enim hi, qui in novissimo die dicuntur ex primis novissimi futuri, etiam erunt in sanctorum numero, sed rejecti foras. Idem & murmuratiorem ad substantiam parabolæ refert, Gabr. Vasquez. l. c. cap. IV. pag. 269. putat eâ parabolâ non significari tam premium æternæ vitæ, atque ejus pro qualitate meritorum distributionem, quàm potius donationem gratiæ, ejusq; prout DEO placet divisionem, quæ novissimi fiunt primi, & severitatem divini judicii, quæ primi sunt novissimi. Ex qua fiet, ut in judicio, quod erit post hanc vitam, in qua solum licet operari, qui putabantur novissimi ad regnandum cum Christo sint electi, qui verò primi habeantur, ejiciantur è regno. Dionysius Petavius Tom. I. Theolog. Dogmat. Lib. VII. cap. XI. n. 5. pag. 499. etiam à Maldonato dissentit. Mibi, inquit, parabole finis ac scopus in eo situs videtur, uti Christus demonstret, regni cœlestis & æternæ salutis adipiscende modum ac rationem non ex humanis aestimari judiciis, neq; ex eo, quod in usu hominum & consuetudine versatur; sed sola gratuita DEI voluntate ac ejus arbitrio totum illud administrari: ut quos quisq; idoneos maximè putet ad æternam felicitatem

tatem obtinendam, & ad eam jure suo quodam admittendos, ii tamen  
præter omnium opinionem ab ea sæpè excidant, contra autem quos ab  
illius regni ac felicitatis consortio prorsus alienos, nec unquam partici-  
pes futuros haberet humana suspicio, eos præter omnium opinionem  
compotes fieri.


S. 9. SCOPUS parabolæ IX. non est, vocationem Judæorum  
prius esse factam, quam vocatio gentium sit facta, & tamen gentes supe-  
râsse Judæos obsequio & receptione Messia: nec est, gentes factas primas  
esse, cum essent novissimæ, Israëlitas autem factos esse novissimos, cum  
primi essent, adeoq; plenitudine gentium ingressa in gremium Ecclesie,  
etiam Israëlitis conversionem sperandam esse. Prius à quàm plurimis  
docetur, & à Cornel. à Lap. Comm. h. l. inculcatur. Quamquam e-  
nim id verum est, tamen vel solum vel præcipuè à parabola insinuari,  
certo argumento non constat, Nec antecedentia vel consequentia pos-  
tulant, ut parabolam ita restringamus. Posterius insinuat Joh. Hiero-  
solymit. in h. l. pag. 243. qui erant primi novissimi, & novissimi primi,  
videlicet, quia Judæi in primo loco vocati sunt ante gentes, in secundo  
autem salvantur post gentes. Conf. pag. 240. Sequitur Albertus M.  
Ratispon. Episc. Comm. h. l. Denarius nihil aliud est, quàm imagi-  
nis gratia perfectæ similitudo in nobis, Christo, qui est imago DEI in-  
visibilis, nos sigillante, & operibus justitiæ nos polientibus, & camino  
tentationis nos purificante. Sic enim in fine diei denarii impressionem  
perfectè habentes, de omni labore sumus remunerati. Hanc autem im-  
pressionem Judæi ultimò accipient, & gentes primò. Prætereo nunc  
alios. Atqui parabolæ nostræ novissimi sunt reprobati, ut supra dictum.  
Sed & non de gentibus in universali, sed de murmurantibus in individuo  
sermo est. Plura autem nunc non licet addere. Dominus Jesus  
custodiat nos in humilitate & contemptu atq; abnegatione nostri!  
Amen.








Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a Latin or German manuscript.



























the scale towards document

✠ ( 9 ) ✠

vera fidei pars, & quamvis non ipse Christus, sicut P.I. Postill. p. 198. acceptio tamen seu apprehensio appropriativa ad se in individuo. Quam Paulus tribuit per πληροφορίαν, certam animi de salute in 4, 21. per πεποιθήσιν, Rom. 8, 38. per παρρησίαν, omni trepidatione divinæ misericordiæ in 3, 6. per ὑπόστασιν, immotum fundamentum unum argumentum, quo credens certitudinis in Hebr. 11, 1. vid. B. Diet. Inst. de Justif. Quæst. II. si de fuerint præditi, eos certo salvatum iri, et promittit. ὁ πιστεύσας σωθήσεται. Verbum in actionem corporalem notat, & idem est ac à morte liberare & in vivis conservare, ut Marc. 9, 24. ἀνάγωγος à Christo petit, ut ægrotanti filiæ in ὄψος σωθῆναι καὶ ζῆσαι, ut servetur (in vita sc.) salutem rituales, & idem est ac salvare, salvum redimere a morte liberare ut Matth. 1, 21. ubi Angelus declarat, quod σώσει τὸν λαὸν ἑαυτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν, sit populum suum à peccatis corum, conf. Act. 13, 46. in hanc significationem hoc nostro in loco non potest obtinere, clarum est, nec probatione indignam promittit fidelibus, sed ex gratia, χάρισμα δωρεάν, nec obtineri potest à nobis, neque etiam in se consideratur ut opus nostrum, contradictoria & abstractiva, licet concretive cum merito minus operibus, quantumvis etiam à rebus separantur, uti quidem existimat Conc. Trid. B. Chemnitio in P.I. Exam. de B.O. solidissime confirmatum. Est & manet donum DEI gratuitum, non jam in hac vita per prægustum percipiunt, sed sunt liberi DEI, 1. Joh. 3, 2. quoad gratui-remissionem, Act. 10, 43. plenariam propter remissionem, Rom. 4, 5. SS. Trinitatis inhabitabilem, 3. fiduciam ad DEUM accessionem, Rom. 8, 24. quæ beatitudine exclusi manent infideles, non nisi à DEO Deus maximam lapsorum partem in lapsu

B

præter-